



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Difficultas III. De Judicio circa motiva credibilitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

supernaturale, tanquam causam efficientem referatur.

CONTRA. Concedo quod leviter crederet, qui sine dictamine prudentiæ crederet, sed quærere restat, an non ex mente S. Thomæ (verbis illis indicata) constet, quod post iudicium prudentiale de illis miraculis confirmantibus fidem, succedere debeat ipse instinctus Spiritus Sancti, cum de illo tanquam de aliquo distincto dicat S. Thomas illud Ly. & quod plus est. Rursus non apparet cur ille instinctus debeat concipi per modum causæ efficientis. Concedo quidem quod Lumen supernaturale hoc est Lumen fidei, concurrat ad Actum credendi in genere causæ efficientis, sed quia ille instinctus præcedere debet ipsam fidem, & est per modum Actus, qui (in multorum principiis) producat Actum fidei?

SECUNDA Auctoritas est Arauscani quod Canone 5. sic habet. *Ad consentiendum cogitationi salutari, est necessaria illuminatio & Inspiratio Spiritus S. & quia velle credere est cogitatio salutaris, præcedet illam illuminatio Spiritus S. videturque idem innuere Tridentinum dum can. 3. de Justif. requirit prævenientem Spiritus S. inspirationem.*

TERTIA Auctoritas est S. Augustini. epist. 107. ad Vitalem. *Non ideo inquit præparat Deus voluntatem, quia legem atque doctrinam libero ejus arbitrio adhibet, sed quia vocatione illa sancta, sic ejus agit consensum, ut etiam accomodat assensum.* Ubi per vocationem sanctam intelligit illuminationem & Piam affectionem. Innuitque hoc & aliis locis, ubi censet nos interius doceri, loqui nobis Patrem in abscondito, &c.

## DIFFICULTAS III.

*De iudicio circa motiva credibilitatis.*

SUB hoc titulo quæratur. An iudicium circa motiva credibilitatis, sit naturale an supernaturale. Esse naturale docet Suarez; sed requirit insuper illuminationem in entitate supernaturalem Kon. d. 13. dub. 3. ponit in hoc iudicio supernaturalitatem non nisi quoad modum. Naturale id esse iudicium vult Amicus. d. 3. Sect. 5. num. 113. Affirmat esse supernaturale Lugo. d. 11. Sect. 1. cum Hurt. Rip. d. 14. num. 39. Procedit autem hæc difficultas in suppositione quod illud iudicium non eliciatur à fide Divina: si enim ab illa eliceretur, hoc ipso esset supernaturale; quia concursus potentie supernaturalis, connaturaliter non potest producere, nisi effectum supernaturalem.

DICENDUM est. *Iudicium de motivis credibilitatis esse in entitate naturale.*

PROBARI solet Primò. Iudicium illud est ex motivis in entitate naturalibus. Ergo est & ipsum naturale.

RESPONDERI potest. Negando Consequentiam: quia supernaturalitas non desumitur ex motivo.

CONFIRMATUR. Illud iudicium etiam in hæreticis reperitur. Ergo apparet illud esse naturale.

RESPONDERI potest. Hoc argumentum multum probare, quia probaret etiam assensum ob veritatem primam, esse naturalem, quia hic habetur etiam in hæreticis saltem restrictè.

PROBAT Secundò Kon. Si illud iudicium esset supernaturale, elevaremur illo ad statum supernaturalem & vitam, atque ita fides non esset fundamentum & initium vitæ supernaturalis, quod est contra August. epist. 105. & alios PP.

RESPONDERI potest. Hoc argumentum multum probare: quia probaret quod voluntas credendi antecedens actum fidei non sit supernaturalis, cum tamen id doceat Kon.

PROBATUR Secundò. Patres intelligendos, non de sola præcisè fide; sed de tota illius æconomia, adeoque de illa completè sumpta.

CONFIRMARI potest ex Suar. Si illud iudicium esset supernaturale, vel esset liberum vel necessarium? si est liberum. Ergò processit ex imperio voluntatis, hoc imperium vel præcessit iudicium liberum vel necessarium. Si liberum. Ergo antecessit ante illud aliud iudicium, & sic in infinitum; si necessarium. Ergo & illud iudicium, de quo disputat argumentum, est necessarium, necessarium autem esse non potest, quia necessitatem causat sola evidentia, quæ est naturalibus, desumitur enim ex motivis naturalibus.

RESPONDETUR. Quamvis concedatur illud iudicium esse necessarium, non sequetur illud esse naturale, ex eo, quod innitatur motivis naturalibus: quia supernaturalitas non stat motivo.

PROBATUR Tertio Conclusio Argumento negativo. Sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sic nec dignificanda, nec in altiori ordine reponenda; Nulla autem est necessitas attollendi iudicium ad ordinem supernaturalem, ut ostendet solutio Argumentorum.

CONFIRMATUR. Quia si ponatur Illuminatio Spiritus S. præter illud iudicium de motivis, non erit ulla necessitas ponendi supernaturalis illius iudicii. Quod autem debeat poni illa illuminatio expresse docet Arauscanum can. 5. *Ad consentiendum cogitationi salutari, est necessaria illuminatio & Inspiratio Spiritus S.* Confirmaturque Ratione, quia impossibilis est transitus à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, adeoque à ratione non convictivi ad rationem convictivi; sed positus quibuscunque motivis credibilitatis, eorundemque apprehensione potest unus convinci, alter non convinci: quæ enim in hoc implicantiæ. Ad quem transitum

fitum non potest alia assignari mutatio, nisi illuminatio Spiritus S.

OBJICIT PRIMÒ Lugo Auctoritatem Sacram.

RESPONDETUR. Illa omnia intelligenda esse de illuminatione Spiritus S. quæ insuper à nobis requiritur, eaque supernaturalis.

OBJICIT SECUNDÒ Idem. Ad voluntatem supernaturalem sufficit cognitio naturalis. Ergo & ad alias omnes volitiones supernaturales, sufficit cognitio naturalis, & tamen, sicut ad amorem voluntatis non sufficit phantasiæ cognitio; ita nec naturalis noticia, sufficit ad imperium supernaturale.

RESPONDETUR. Non tenere argumentum, quia insuper admittimus illuminationem supernaturalem.

INSTAT PRIMÒ. Vel illa illuminatio sola absque ullo iudicio sufficit, ad volendum credere vel non sufficit? & quidem non videtur sufficere Suario, quia ad hoc ut voluntas moveatur honestè & prudenter, necessaria est, & sufficiens apprehensio objecti, & iudicium, quod expedit credere. Consequenter, cum iudicium istud sit naturale, ipsa simplex apprehensio, debet esse supernaturale, consequenter solum iudicium non sufficit. Si autem non sufficit illa apprehensio sine iudicio, non erit ratio, cur magis apprehensio, quam iudicium debeat esse supernaturale. Imò magis requiritur supernaturalitas in iudicio: quia apprehensio non movet proximè voluntatem, sed mediatè, quia proponit objectum, de quo formari debet iudicium.

RESPONDETUR. Ordinariè loquendo non sufficit sola illuminatio Spiritus S. licet posset sufficere, utente videlicet Deo istis visibilibus ad invisibilia, ut ita suavius inducantur homines ad credendum. Posito, quod illa illuminatio, sit nonnisi simplex apprehensio, est ratio, cur potius illa sit supernaturale, quam illud iudicium: quia de illa illuminatione enuntiant PP. quod sit ex gratia, quod non dicunt de illo iudicio. Cæterum etiam illa illuminatio ex infra dicendis, potest esse iudicium, & non simplex apprehensio.

INSTAT SECUNDÒ. Objectum illius illuminationis potest terminare actum iudicii supernaturalem; & cum omnis apprehensio apta sit generare actum Iudicii circa illud objectum; etiam illa illuminatio, quæ dicitur esse simplex apprehensio, generabit iudicium supernaturale.

RESPONDETUR. Non benè urgeri, ex eo aliquem actum esse supernaturalem, quia objectum illius, potest terminare actum supernaturalem; quia objectum quod est definitio, hunc actum: *Definitio est clarior suo definito* posset terminare supernaturalem; neque tamen defecto supernaturalem terminat: quia nullum est de hoc in Scriptura & PP. rationeque manifesta iudicium. Et quamvis apprehensio, sit nata generare iudicium, quia tamen non generat illud effe-

ctivè, nondum sequetur supernaturalitas iudicii, circa motiva. Sed etiam in præsentì ostendi potest iudicium supernaturale, genitum ab illa apprehensione supernaturali, nempe iudicium, quod est actus fidei. Denique ut innui, potest dici illam illuminationem esse iudicium, quod movere potest ad assentiendum Deo dicenti: cum jam iudicatur prudenter, hoc eum dixisse.

INSTAT TERTIÒ. Ad voluntatem supernaturalem credendi, sufficit iudicium naturale interveniente illuminatione supernaturali. Ergo idem dici posset, de aliis supernaturalibus virtutibus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia in ordine ad agendum aliarum virtutum actus, non habetur fundamentum ullum, intervenire duplicem actum; sed intervenit nonnisi unus, qui cum debeat esse proportionatus voluntati supernaturali, infertur benè, debere illum esse supernaturalem. Jam autem cum habeatur fundamentum, præter iudicium de motivis credibilitatis, intervenire illuminationem Spiritus Sancti, ex altera parte cum nullum fundamentum urgeat utrumque hunc actum supernaturalisandi, imò obest principium, ne dignificentur entia sine necessitate; sit ut nonnisi illuminationi supernaturalitatem tribuamus.

OBJICIT TERTIÒ Rip. d. 14. n. 39. Ex auxilio gratiæ habetur scire & cogitare, illuminarique & illustrari; hæc autem pertinent ad iudicium potius quam ad apprehensionem: scire enim quid agere debeamus, solius iudicii est: rem enim propriè non scimus, nisi iudicando.

RESPONDETUR. Argumentum non esse contrarios, saltem eo casu, quo ponatur illa illuminatio esse iudicium. Sed insuper non convincit: quia PP. non agunt de illuminatione per motiva credibilitatis, sed de alia à nobis admissa. Immeritò etiam supponit, scire, debere nonnisi iudicio formali. Nam inter modos sciendi, est definitio, quæ non est iudicium. Quanquam ipsum illud iudicium de motivis, potest appellari Gratia cum addito, hoc est ordinis naturalis.

INSTAT PRIMÒ Rip. Non solum apprehensiones, sed etiam iudicium, regulans affectus supernaturales, pertinet ad auxilia gratiæ, quibus iudicii annumerandum est credibilitatis iudicium, cum nulla appareat inter illud, & alia iudicia distinctio.

RESPONSUM ubi soluta Obiectio secunda, & Instantia tertia supra.

INSTAT SECUNDÒ Idem. Quamvis affectus supernaturalis, possit esse ex sola simplici apprehensione supernaturali; id tamen ordinariè non fit.

RESPONDETUR. Concedendo, quod ordinariè illuminatio sit iudicium respectu imperii actus fidei, licet non respectu ipsius immediate actus fidei, de quo infra.

INSTAT TERTIÒ. Si tale iudicium esset naturale

R. P.  
THE MŁOD  
zia nowski  
Tom. I. c. 2.  
D. VI

rale sequeretur ex nobis esse fidei initium, quemadmodum esset ex nobis initium Charitatis: si assensus fidei prævius ad illam, esset naturalis.

RESPONDETUR. Non erit ex nobis initium fidei: quia requirimus insuper supernaturalem Illuminationem. Quando autem dicunt PP. Non esse initium salutis ex nobis, non hoc ideo dicunt, ut naturalia omnia adjuncta excludant, sed quod illa naturalia, non promoveant nos in vitam æternam; & non sint actus sicut oportet. Et sicut à charitate, non excluditur notitia naturalis, quod Deus sit infinitè bonus: quia illa notitia, non admittitur tanquam quid promovens nos in vitam æternam, nec est actus sicut oportet. Ita & in præsentī paritas non tenet: quia illud iudicium de motivis, non nos promovet in vitam æternam, nec est actus sicut oportet.

OBJICITUR Quartò. Illud iudicium naturale, vel est liberum vel necessarium, non liberum, quia innititur principiis evidentibus, & si est liberum, apparet quod non sit certum. Siquidem ad se elicendum indiget imperio voluntatis, & non habet infallibilia motiva. Non etiam illud iudicium est necessarium: quia per ordinem ad illum finem, ad quem exigitur, non videtur habere commensurationem & proportionem, idque ex eo; quia illud iudicium ordinatur ad imperium actus certissimi & certioris præ se; quomodo ergo illi proportionatur?

RESPONDETUR. Illud iudicium, sicut & alia evidentia moraliter, esse iudicium necessarium moraliter. Quod autem attinet: An illud iudicium sit proportionatum illi imperio, distinguenda erit proportio in genere entis & ordinis, & hæc non habetur in iudicio naturali, de motivis credibilitatis, & inter imperium supernaturale. Deinde habetur proportio in illo iudicio, non hoc sensu, quasi illud iudicium, sit motivum assensus fidei, & quasi pro motivo fidei præsentet ipsa illa motiva, quibus movetur, sed habet proportionem præsentandi, quod possit prudenter illos actus elicere homo, respiciendo illud motivum, quod est, Deus dicens.

OBJICITUR Quintò. Inexplicabile esse, quid sit illa illuminatio, posito, quod sit, quid distinctum, à iudicio de motivis.

RESPONDETUR. Non esse inexplicabile. Quod ut fiat.

#### *Notantur quedam de Illuminatione Spiritus Sancti.*

Noto Primò. Ex supremo quod Deus habet iure & dominio in creaturam, fundatur in Deo potestas utendi creaturæ prout libuerit, idque ex ipsa definitione domini. Et quia dato creaturæ rationali libero arbitrio, nondum se spoliavit dominio creaturæ, etiam stante ipsius libertate: hinc stante etiam libertate creaturæ, necdum se spoliavit potestate utendi creaturæ intellectuāli,

ut illi libuerit; quia verò inter creata numeratur Intellectus & Voluntas, sit ut dominium DEI, etiam in intellectum & voluntatem extendatur, consequenter habebit Deus potestatem utendi illis, ad usus liberos ut libuerit, intacta voluntatis libertate, & inviolato modo agendi, debito intellectui. Porro ad hoc ut utatur Deus voluntate creata in ordine ad actus gratiosos, exhibet illi auxilium efficax, de quò alias. Ut autem Deus, stante debito modo agendi, intellectui, dominium suum in illum exerceat, utaturque illo ut libuerit, habet illuminationes, sive illæ sint apprehensio supernaturalis, & cogitatio in nobis, si ne nobis, sive per cogitationes, quas in alio ordine, dicebat Arist. injici à bona fortuna, offerendo etiam interdum concursus, etiam ad iudicia supernaturalia, quando requiruntur.

Noto Secundò. Ad duplicem finem posse comparari illuminationem Spiritus S. PRIMò, In ordine ad fundandum imperium Voluntatis, quo imperat voluntas intellectui actum certissimum fidei. SECUNDò, Potest comparari illuminatio Spiritus S. in ordine ad ipsam assensum fidei exhibendum: comparata illuminatio Spiritus Sancti in ordine ad imperium voluntatis, habet pro objecto honestatem imperii illius, in circumstantia motivorum credibilitatis. Jam autem comparata illuminatio ad ipsum actum fidei, versatur circa honestatem assentiendi veritati primæ. Et quidem sic posse comparari illam illuminationem ratio est: quia ad utrumque illud extendi debet, & quidem quod extendatur ad assensum Fidei fundatur maximè in PP. qui Fidem Divinam docent pendere ab illuminatione Spiritus Sancti: quod accipi simpliciter non posset, si requireretur illa, non nisi ad imperium voluntatis quod ipsum imperium non est fides. Requiritur autem etiam illam illuminationem ad imperium voluntatis. Ratio est, quia iudicium solum de motivis credibilitatis, est improporcionatum imperio supernaturali, quod debet intervenire.

Noto Tertio. An illa illuminatio Spiritus S. (pro utraque parte circa quam versatur) iudicium sit, an verò perficiatur sola apprehensione. Universalis regula tradi non potest. Nam illa illuminatio, quæ repræsentat honestatem imperii, potest esse simplex apprehensio, casu quo voluntas possit ponere etiam deliberatum actum, non nisi illuminata simplici apprehensione. Quod si requirit voluntas deliberata, etiam iudiciū, tunc dicendum erit, etiam illam illuminationem, esse non nisi iudicium. Quod attinet ad illuminationem quæ repræsentat honestatē eliciendi actus fidei, illa illuminatio sufficit si sit simplex apprehensio. Ratio quia si ad alia iudicia naturalia, sufficit ut præcedat simplex apprehensio naturalis, cur ad iudicium supernaturale fidei, non sufficiet simplex illa apprehensio. Potest tamen saltem in non exercitatis per actus credendi, intervenire illuminatio, quæ sit iudicium, quæ ipsa illuminatio

(o)

tio

tio prout attendit ad motiva credibilitatis suo modo, potest dici clara, in quantum attendit suo modo ad veritatem primam, potest dici obscura: sicut & ipsa veritas prima obscure testatur.

NOTO Quartò. Qualis sit processus illius illuminationis. Proponuntur motiva credibilitatis, quæ intellectus iudicat esse evidentia; quia verò illa evidentia per ordinem ad imperium voluntatis, quod debet esse supernaturale, non est proportionata, subsequitur insimul illuminatio Spiritus S. dictans, esse honestum elici illud imperium, in circumstantia illorum motivorum credibilitatis, iudicii que de illis, postea subsequitur imperium quod elicit voluntas imperando actum fidei, & simul etiam illuminatio Spiritus S. repræsentat intellectui honestatem eliciendi illius actus, propter motivum, quod est veritas prima. Nam simpliciter voluntas non potest imperare actum talem, sine repræsentatione rationis seu motivi, alias vellet intellectum moveri ad iudicium sine motivo iudicii, & hoc motivum repræsentat illuminatio Spiritus S. de quo vide copiosius Rip. d. 14. S. 1.

NOTO Quintò. Non dari in nobis actu, habitum, per modum potentie ad illam illuminationem Spiritus S. quia nullum est fundamentum ponendi tales habitus: Sicut etiam in naturalibus non datur habitus qui sit cogitationum bonæ fortunæ. Unde producantur ab intellectu, hic & nunc elevato. Sicut etiam pro iudicio circa motiva credibilitatis, non datur ullus habitus, sed illud elicit intellectus, sicut & alios actus ex motivis evidentibus. An autem generari debeat postea habitus aliquis facilitativus, ad illud iudicium de motivis credibilitatis, pendet ex materia de Habitibus.

## QUÆSTIO II.

*De applicatione ad credendum per Imperium Voluntatis.*

Sicut Volitio sequitur Intellectionem, ita applicatio per volitionem, sequitur applicationem, quæ fit per intellectionem. *De qua sit*

## DIFFICULTAS I.

*An actum fidei antecedere debeat Imperium Voluntatis?*

DICENDUM est. Quod actum fidei, debeat antecedere actus voluntatis. Est communis apud Lug. d. 10. S. 1. Amicum d. 10. S. 5. Kon. d. 13. dub. 4.

PROBATUR Primò Auctoritate Trident. Sess. 6. can. 6. dicit homines disponi ad Iustitiam, dum inquit excitati Divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè morventur in

Deum, credentes, vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt. Similia habet Arausic. 2. can. August. tr. 26. in Joan. Multa inquit potest fuisse homo non volens, credere autem non potest nisi persuasus.

PROBATUR Secundò. Quando aliqua potentia non habet prærequisita ad agendum, si agat, illorum prærequisitorum debet esse aliquod supplementum, hoc ipso enim non esset prærequisitum, si illo non posito, posset fieri actio, ut etiam ostendit Inductio. Sed intellectus ut assentiatur certo, requirit evidentiam, ut etiam ostendit Inductio, & resolvitur in hoc principium: quia intellectus in assensu certo intendit veritatem, quæ non est nisi ratione principiorum, vel veritatis in se attractæ, quod utrumque evidentiam importat: Quia autem in motivo fidei, deest evidentia, debet esse aliquid illius supplementum, hoc aliunde peti non potest, nisi à solo imperio voluntatis. Cum enim in se non habeat hoc complementum intellectus, ab alia potentia vendicare illud debet, quæ non alia, nisi voluntas.

PROBATUR Tertiò. Quia propter motivum probabile, cum in se certum sit, non assentitur certo intellectus, nisi accedat imperium voluntatis. Ergo & in præsentem idem dicendum: non enim minus una conditio requiritur ad assensum certum, quam alia.

OBJICITUR Primò. Non habet vim determinandi intellectum voluntas, quia illa determinatione intellectus extraheretur extra speciem sui objecti: extrahi autem extra speciem sui objecti non potest. Sequela autem probatur quia objectum intellectus est verum, voluntas autem non potest ponere, nec augere, veritatem objecti.

RESPONDETUR. Non determinati intellectus à voluntate tenente se determinatione à parte objecti, hoc enim est solum verum, quod non adfert voluntas. Sed determinatione per modum inclinantis, impellentis, rogantis &c. Censet quidem Cajet. quod voluntas intellectui possit imperare assensum sine ullo motivo; sed hoc falsum esse, in superioribus etiam dictum.

INSTABIS. Ponamus proponi ab intellectu motiva credibilitatis evidentia, & non proponi ullò modo rationes in oppositum, adeoque non attendere intellectum ad rationem falsi, quæ posset subesse, cur tunc elici non poterit actus fidei, sine ullo imperio voluntatis.

RESPONDETUR. Etiam non propositis ullò modo rationibus in oppositum, requireretur imperium voluntatis ad fidem: quia assensus nominis ipsi motivis credibilitatis, facilitatur per hoc, quia non ponuntur rationes in oppositum, sed ipsum motivum actus fidei, non adfert adhuc prærequisite evidentiam, quam deponit intellectus certo assentiens. Si non adfert illud prærequisitum, debet omnino quæri illius supplementum, quod non aliud, nisi imperium voluntatis.

INSTAT

R. P.  
THE MŁOD  
zianowski  
Tom. 1. e. 2.  
D. VI